LA
BOLLA D'ORO
NELLA
DEDIZIONE
DELLA CITTÀ DI PADOVA
ALLA
REPUBLICA VENETA

PADOVA
PER F. A. SICCA E FIGLIO
1848

AL DEGNISSIMO PODESTÀ DI PADOVA

NOBILE

ACHILLE DE ZIGNO

DELLA CROCE DI S. LODOVICO DI LUCCA INSIGNITO

PER MOLTI MERITI

PER RARE DOTI DI MENTE E DI CUORE

ONOREVOLE

OGGI

IN SACRO AUSPICATISSIMO NODO

CON LA SIGNORA CONTESSA

ADELAIDE EMO CAPODILISTA

PER SANGUE ILLUSTRE NOBILISSIMA

CONGIUNTO

QUESTO TRIBUTO

DELLA PIÙ DISTINTA STIMA

GL' IMPIEGATI MUNICIPALI ESULTANTI

OFFRONO

Signore pregiatissimo.

Fra i più preziosi documenti che la nostra storia risguardano, egregio sig. Podestà, questo, che Le presentiamo, devesi certamente annoverare, e perchè si riferisce ad un' epoca interessante, e perchè molti importanti argomenti contempla, e molti privilegi a favore della nostra patria. Nella incertezza che ancora sia inedito, e nel timore che più a lungo protraendo ne spariscano per la languidezza dell' inchiostro

interamente i caratteri, abbiamo creduto di non tardar più oltre a renderlo publico. Dal primo registro originale delle Ducali, volgarmente detto il Libro rosso, *alla lettera venne trascritto. Contiene il medesimo tutti i Capitoli presentati da quattro Legazioni a nome della Città di Padova, e le relative risposte avute dalla Veneta Republica. Intitolasi* LA BOLLA D' ORO *per la ragione, che aveva pendente una bolla di tal metallo, a preferenza delle altre Ducali, che con bolle di piombo d' ordinario venivano rilasciate.*

Notevole cosa si è, che degli oratori delegati in tal congiuntura uno fra i primi appresentasi della Nobilissima Famiglia, con la quale Ella si lega oggidì in parentela, cioè il Conte e Cavaliere Giovanni Francesco Capodilista, in ambe le leggi Dottore peritissimo, e per molti anni publico Professore in questa Università, le di cui benemerenze resero immortale la sua memoria.

Anche per questo titolo ci lusinghiamo che Le torni cara la nostra offerta; e noi saremo contenti se nella scelta avremo còlto nel di Lei aggradimento.

Padova li 15 *Febbrajo* 1848.

Gl' Impiegati Municipali di Padova.

LA
BOLLA D'ORO
NELLA
DEDIZIONE DELLA CITTÀ DI PADOVA
ALLA
REPUBLICA VENETA

Ex Codice membranaceo Rubeo nuncupato,
et in Archivio veteri Civitatis Patavinae servato.

Anno 1405, 30 *Januarii. M. V.*

Nos Michael Steno Dei gratia Dux Veneciarum etc. Universis, et singulis tam presentibus quam futuris presentem Privilegii nostri paginam inspecturis facimus manifestum, quod comparentibus ad nostram nostrique Dominii presentiam Egregiis et Spectabilibus viris dominis Prosdocimo de Comitibus, Johanne Francisco de Capite liste juris utriusque doctoribus, Rambaldo de Capite vace legum doctore, Guidone Francisco de Zenariis juris perito, Johanne Sulimano, et Francisco Caveale (1) honorabilibus Oratoribus Comunitatis et Civium Padue, et nobis certa eorum capitula presentantibus, qui velut fideles et devoti nostri Dominii supplicabant admitti per nos, et concedi de gratia speciali, non ignari ineffabilis dispositionis divine clementie, et cognoscentes habitam victoriam, et dignitatem, quam habemus celitus nobis esse collatam, illudque

a nobis ab illo bono patre familias protinus exigi debitum, ut reddamus sibi talenta per eum nobis duplicata, tradita, cujus quidem debiti mirabilis extitit conditio, nam ejus solutio emolumenta debitoris non minuit, sed augens fidem magis solventi crescit in comodo, quam suscipienti proficiat in augumento, deliberavimus supplicationibus ipsorum nostrorum fidelium benignum auditum impendere, et quantum cum honestate et justitia voluimus exauditionis januam aperire, ut perinde ad satisfactionem dicti debiti demus inicium, et eorundem fidem et devotionem erga nos ferventius excitemus dictis eorum capitulis in forma infrascripta singulariter respondendo, et primo ad

Primum capitulum continens, quod dominus Franciscus de Cararia et filii tamquam servitores, et filii Ducalis nostri Dominii et eorum persone salve sint, et quod possint conducere omnia bona sua cum salvamento, quo voluerint, responsum dedimus, quod ipse dominus Franciscus miserat ad nos Oratores suos facientes mentionem de facto predicto, quibus daremus superinde nostram responsionem (2). Ad

Secundum continens, quod omnis ira, odium, et rancor, qui fuissent inter nostram Ducalem Dominationem, hominesque Veneciarum, Comune, et

Homines Padue removeantur, et quod amor, et caritas perpetua regnet inter Partes predictas, cum Cives Padue se offerant esse Ducalis Serenitatis nostre bonos, et legales Servitores, respondimus, quod de dicto capitulo contenti eramus. Ad

Tertium continens, quod dicti Cives Padue tractentur in daciis, collectis, et aliis gravitatibus secundum quod tractantur alii subditi terrarum nostrarum, et non peius, fecimus responsionem, quod in facto Datiorum, et Gabellarum nos tractari eos faciemus, ut tractabantur ante guerram preteritam. Circa autem partem coltarum, et aliarum gravitatum, intentio nostra erat tractare eos, ut tractamus alios nostros subditos, quia intendimus ipsos habere eque caros, ut alios. Ad

Quartum continens, quod predicti Cives possint tenere, et gaudere omnibus possessionibus, et bonis suis positis in Padua, et Paduano Districtu, et in casu quo Dominio nostro placeret, quod alique persone recederent de Padua, quod illis statuatur terminus competens ad possendum retrahere, et ordinare bona sua, sicut eis placuerit, respondimus, quod de contentis in dicto capitulo contenti eramus. Ad

Quintum quod sui redditus preteriti, et presentes, qui forent apud aliquem contadinum, vel ali-

quam personam assignentur eis libere, et simili modo bona sua mobilia, que habuissent intra castra Paduani Districtus. Et quod si dicti redditus venditi forent restituantur eisdem, responsionem fecimus, quod contenti eramus facere eis fieri summarium jus de redditibus existentibus apud aliquem civem Padue. De aliis autem redditibus, qui fuissent, vel forent apud aliquos contadinos ad montes, vel ad planiciem non poteramus eis facere aliquam promissionem propter certas conventiones habitas cum predictis occasione guerre proxime preterite. De bonis autem mobilibus, que habuissent in Castris Paduani Districtus diximus, quod ipsa Castra diversis venditionibus, modis, et compositionibus pervenerant ad manus nostras, et bona distributa erant, propter quod non videbamus modum, quomodo restitutio, quam petebant, fieri sibi posset. Ad

Sextum continens, quod venditiones, et alienationes facte per predictum dominum Franciscum de Cararia cuicumque persone de bonis suis propriis, et de bonis Communis Padue observari diximus, quod eramus contenti, quod venditiones, et alienationes facte per ipsum dominum Franciscum ante presentem guerram de bonis suis propriis, vel Comunis Padue forent valide, et firme. De aliis autem, que facte fuissent a principio guerre usque in

diem presentem de bonis suis propriis, vel de bonis Comunis Padue placebat nobis, quod forent contenti remanere ad gratiam nostram, quia faceremus de rebus, de quibus haberent rationabiliter contentari. Ad

Septimum continens, quod cuilibet Civi, qui prestitisset pecuniam domino Francisco, detur de bonis suis in solutum pro quantitate, quam sibi prestitissent, et modo simili detur de bonis suis in solutum illis, quibus accepta fuissent per eum bona aliqua, vel pecunie, et hoc per nostrum Ducale Dominium, responsum fecimus, quod quia nesciebamus, quanta foret quantitas predicta non poteramus aliam responsionem dare quam istam, videlicet quod contenti eramus complacere eis, et facere dictas solutiones usque ad quantitatem quatuor millium ducatorum, faciendo solutiones ipsas per ratam omnibus, qui de dictis denariis juste deberent habere, et hoc de introitibus Civitatis Padue. Ad

Octavum continens, quod cuilibet civi, et habitantibus in Civitate Padue fiat, et reddatur jus in questionibus principalibus, et de appellationibus secundum formam juris statutorum, et consuetudinum Comunis Padue per officiales, qui deputabuntur per nostram Ducalem Dominationem, respondimus, quod de hoc contenti eramus. Ad

Nonum, quod jurisdictio consueta Potestatis, et Rectorum Padue, et aliorum Castrorum, et Locorum Territorii Paduani non diminuatur, fecimus responsum, quod de hoc sibi complacere non poteramus, quia propter conditiones, et terminos guerre facte erant per nos provisiones aliis in contrarium, quas cum honore nostro infringere non possumus. Sed, si ultra promissiones predictas videbant per nos fieri posse aliquid cum honore nostri Comunis, nos erimus parati complacere sibi. Ad

Decimum continens, quod quodlibet officium Padue, et Paduani Districtus, exceptis Potestariis, Capitaneriis Terrarum, et Rocharum detur Civibus Padue; et ad

Undecimum, quod beneficia dicte Civitatis, seu Territorii predicti dentur civibus antedictis, responsum fecimus, quod eramus contenti, quod dicta officia, exceptis Potestariis, Capitaneriis Terrarum, Castrorum et Rocharum, et omnibus quibuscumque officiis habentibus merum, et mixtum imperium, nec non requirentibus guardiam, seu custodiam, darentur Civibus Padue antedictis. Sed quia nostra Dominatio non se intromittit de Beneficiis Ecclesiasticis ymo illa relinquit dispositioni summi Pontificis, et aliorum Prelatorum Ecclesie, non poteramus super hoc promittere, quod requi-

rebatur, sed offerebamus nos intercessores apud dictum Dominum Papam, quod ipsos Paduanos habeat in dictis Beneficiis recomissos. Ad

Duodecimum continens, quod Studium (3), et Ars Lane, et quodlibet aliud bonum misterium Civitatis Padue predicte manuteantur secundum eorum privilegia, statuta, et consuetudines, responsum dedimus, quod contenti eramus facere omnia, que debita, et convenientia sint pro amplificatione Studii, et Artium predictarum. Ad

Tertium decimum, quod capti utriusque partis, qui forent apud nos, dictum dominum Franciscum, et Comune Padue libere relaxentur, diximus, quod super illo responsio non cadebat, quia continebatur sub capitulis porrectis per dictum dominum Franciscum. Ad

Quartum decimum continens, quod deberemus facere rationem dicte Civitatis pacificam, et quietam, et sine lesione personarum, et preda bonorum alicujus habitantis in dicta Civitate Padue, responsum dedimus, quod ista semper fuerat, et erat intentio nostra, et ita eramus dispositi, quod omnino servaretur, et fieret. Ad

Quintum decimum et ultimum, quod aliquis civis Padue non cogatur mittere redditus suos Venecias, sed quod istud relinquatur in sua libera vo-

luntate, responsionem fecimus, quod de contentis in illo contenti eramus. Quibus responsibus per predictos Oratores particulariter auditis, et unanimiter gratificatis, et approbatis iterato nobis alia infrascripta capitula presentarunt, que ex abundantiori nostra gratia petierunt eis apud suprascripta alia confirmari.

Primum fuit, quod quartum capitulum suprascriptum alias porrectum per eos continens, quod Cives Padue possint tenere, et gaudere omnibus suis possessionibus, et bonis positis in Padua, et Paduano Districtu etc. se extendat, et locum habeat etiam in possessionibus predictorum civium positis extra Districtum Padue in locis Dominationis nostre. Ad quod taliter dedimus responsum, videlicet quod eramus contenti concedere eis, ut petebant de bonis immobilibus tantum declarando, quod istud non intelligatur in aliqua donatione, concessione, infeudatione, vel censu factis per aliquem Dominum Ecclesiasticum, vel secularem de bonis suis, vel Ecclesiarum suarum ab annis viginti quinque citra.

Secundum fuit, quod omnes cives Padue, qui reputarentur rebelles domini Francisci de Cararia, vel ejus patris, et quibus velut rebellibus eorum accepta fuissent bona sua, et heredes sui possint

stare in Padua, et gaudere bonis suis, que eis ablata fuissent, vel per sententiam vel sine non obstantibus sententiis, que date fuissent contra eos, et contra eorum bona. Ad quod respondimus, quod eramus contenti, et placebat nobis, quod omnes cives predicti Padue qui fuissent reputati rebelles domini Francisci de Cararia, et a quibus accepta fuissent bona sua, quia voluissent adherere nostro Ducali Dominio, et venire ad gratiam nostram tempore presentis guerre possent stare in quiete, et gaudere de omnibus bonis suis, que per sententiam, vel sine fuissent ablata sibi. De aliis autem, quia ignoramus numerum, et conditionem eorum, qualitatem, et conditionem rebellionis sue, et confiscationis bonorum suorum presentialiter providere non poteramus. Sed ipsi et ipsorum quilibet de tempore in tempus comparere poterunt coram nobis, et Nos tunc providebimus secundum conditiones, et qualitates eorum et prout nostro Dominio videbitur esse justum.

Tertium capitulum fuit, quod olive, que erant super olivariis, vel recollecte per aliquam personam, que ipsas emisset a nostro Dominio libere darentur civibus antedictis. Ad quod respondimus, quod placebat nobis, quod Cives Padue possent tam olivas, que sunt super olivariis quam que recollecte

forent per aliquam personam percipere et habere, et hoc in casu quo pretium ipsarum solutum non foret ante acquisitionem dominii Padue, solvendo expensam, que facta foret per illos, qui emissent olivas predictas.

Quartum fuit, quod ut cives predicti Padue scirent, si possessiones empte per eos a dicto domino Francisco deberent facere laborari, ut non vadant inculte, de gratia petebant provideri per nos, quod nostra intentio super capitulo prius per eos porrecto de facto venditionum dictarum possessionum, quanto prestius fieri posset, declaretur eisdem. Ad istud diximus, quod quanto celerius possemus informaremus nos de terminis, et conditionibus venditionum predictarum, et provideremus superinde ita quod plene scirent intentionem nostram. Habitis responsionibus suprascriptis, et cum illis Oratoribus dictis, seu cum earum copia redeuntibus Cives et Communitas Padue antedicti deliberaverunt de novo ad nostram presentiam destinare suam solemnem Ambassiatam, in qua fuerunt Egregii, et Spectabiles, ac Honorandi viri Dominus Franciscus de Doctis, Peraginus de Peraga, Palaminus de Vitalianis, et Jacobus de Vigontia Milites, Domini Franciscus de Zabarellis juris utriusque, Bartolameus de Sancta Sophia Artium, et Medicine, Bon-

franciscus de Leone juris civilis, Omnebonus de la Scola juris civilis doctores, Fredus de Miliciis, Trapolinus de Vicoaggeris, Jacobus de Fabianis, Uliverius de Lenguaciis, Jacobus Vulpis, Jacobus a Serico, et Comes Novellus (4) Nobiles, et Mercatores dicte civitatis, per quos in honorem, et triumphum Ducalis Dignitatis nostre, et in signum adepti dominii per Nos dicte Patave Civitatis, et ejus Districtus, et Comitatus, ac Locorum omnium dicto domino Francisco de Carraria alias subjectorum presentari fecerunt nostre Serenitati solemnitatibus debitis observatis Vexillum Comunis Padue, Septrum, Sigillum, et Claves, illisque presentatis postea de novo dari, et tradi nobis fecerunt capitula infrascripta, quibus omnibus examinatis deliberavimus eis in forma subsequenti facere responderi.

Et primo ad primum continens, quod Cives Padue de speciali gratia intelligantur esse, et sint Cives Civitatis nostre Veneciarum tamquam si nati essent Veneciis, cum intendant esse omnibus modis subditi, et uniti nostro Illustrissimo Dominio, et sperent a nobis uberiores gratias obtinere etc. Quod ordines nostri conditi ab annis infinitis citra super facto talis civilitatis Veneciis erant ita stricti in contrarium, quod nullo modo facere poteramus id quod ita generaliter requirebant. Sed ut cogno-

scerent, et sentirent benignitatem nostri Dominii, volebamus eos complacere, quod cives illius Civitatis nostre Padue forent et intelligerentur esse cives Civitatis nostre Venetiarum de intus. . . . . . , que tractarentur in omnibus, ut tractantur alii nostri cives dicte conditionis posito, quod clarissime videamus, et cognoscentes, quod talis nostra concessio erit cum damno nostri Comunis anno quolibet bone pecunie quantitatis.

Ad secundum continens, quod cum futurum sit, quod ex variis causis oportebit, quod Cives, et Comune Padue mittant sepissime ad nos, et nostrum Dominium Nuncios, et Oratores suos, placeat nobis deputare de redditibus Comunis Padue dictis Civibus, et Comuni aliquam quantitatem, que dicta causa sufficiat, ne sit opus pro talibus imponere collectas ordinarias, que nimium gravant singulos, cum per illas fuerint depauperati tempore tirannidis crudelissime illorum de Cararia, et cum etiam per singula Castra Territorii Paduani habeantur aliqui redditus in comuni etc. Responsum fecimus, quod nostri Provisores, nostrique Rectores (5), qui fuerunt, et sunt in Padua, et diligenter examinaverunt introitus et expensas dicte Civitatis, et locorum ejus clare viderunt, et cognoverunt, et nos etiam palpamus, quod introitus non sufficiunt ad expensas,

propter quod erit nobis necessarium expendere, et exbursare de pecunia nostra Comunis Veneciarum, ita quod male videbamus, quo modo possemus sibi complacere de eo, quod in hoc requirebant, quia ut videbant totum vertebatur in dannum, et expensam nostri Comunis Veneciarum. Sed sperabamus in gratia Jesu Christi, quod taliter tractarentur per nostros Rectores, quos ibi per tempora habebunt in ratione, et justitia, et aliis, que honeste facere poterunt, quod non esset eis expediens multum mittere ad nostram presentiam, nec facere aliquam expensam causa antedicta.

Ad tertium continens, quod pro venditionibus, et alienationibus non simulanter factis per dominum Franciscum de Cararia tempore guerre preterite Cives Padue se recomendabant nostro Dominio repetendo alias nobis exposita per suos Oratores, quia si possessiones non remanerent emptoribus oporteret magnum numerum Familiarum de Padua recedere, cum sint multi, qui non habeant aliud etc. Responsionem fecimus, quod nos volueramus diligenter videre, et examinare venditiones omnes, et alienationes dictarum possessionum, modos, formas, conditiones, et qualitates earum, et licet videremus, et invenerimus multas inhonestates, et varias vias, et modos fuisse superinde servatos, ad

quas, et quos si vellemus respectum habere poteramus honeste, et de jure aliter providere, tamen contenti eramus, et volebamus eis complacere hoc modo videlicet, quod omnes possessiones vendite et alienate Civibus et habitatoribus Padue per dominum Franciscum de Cararia, vel suos tempore guerre preterite, de quibus clare constabit illis, qui ad hoc per nostrum Dominium fuerint deputati, totum precium fuisse solutum in pecunia numerata, vel in rebus datis Curie dicti domini Francisci illis, qui eas habuerunt, libere debeant remanere, intelligendo de possessionibus venditis saltem per octo dies ante habuitionem Civitatis Padue, non includendo in illis tamen aliqua molendina data, vel vendita per ipsum dominum Franciscum, que remaneant in libertate nostri Dominii in disponendo de illis secundum quod nobis videbitur. Possessiones vero, que date, alienate fuissent aliquibus Civibus, et habitantibus Padue, et de quibus pretium in toto, vel in parte appareret solutum in defalcatione imprestantiarum prefactarum dicto domino Francisco de Cararia tempore predicto debeant reduci, et reverti ad factoriam nostram Padue, cum de jure ad satisfactionem talium prestantiarum minime teneamur. Salvo si in predictis forent aliqui, qui vellent refundere nostro Communi in pecunia numerata, vel in

possessionibus tantum, quantum fuissent denarii eis defalcati pro imprestanciis, refundendo possessiones per illam extimationem, et formam, quibus illas habuerunt, quia hoc modo eramus contenti, et placebat nobis, quod ipse possessiones illis talibus deberent similiter remanere. Verum quia poterant esse aliqui, qui non complevissent facere suas solutiones pro possessionibus, quas primo habuissent, erat nostra intentio, quod predicti haberent terminum dierum octo a die noticie sibi date per nostros officiales eligendi, et deliberandi, si restum solutionis predicte facere voluerint de pecunia numerata, vel de possessionibus secundum extimationem, qua illas habuerint, et si deliberaverint facere velle de possessionibus volebamus, quod facerent de presenti. Si vero deliberarent velle facere de pecunia numerata, eramus contenti, quod haberent terminum trium mensium a die dicte sue deliberationis pro comodo eorumdem, declarando, quod dicti tales, qui restituent factorie nostre possessiones, quas ut dictum est pro prestantiis habuissent, admitti debeant cum aliis per ratam ad beneficium ducatorum quatuor milium, de quibus in responsionibus superioribus primorum capitulorum diximus velle eis de gratia complacere. Possessiones vero, que invenientur date, et alienate dicto tempore per

ipsum dominum Franciscum familiaribus suis, provisionatis, officialibus, civibus, et aliis personis forenseis pro salariis, provisionibus, et stipendiis, quas et que debuissent ab eo habere libere etiam volebamus debere nostre factorie, et Camere Padue applicari. Et simili modo omnes possessiones donatas, alienatas, ac datas tali modo aliquibus personis tempore guerre, cum habeamus, quod non sint debite, nec juste date. Possessiones vero datas per ipsum dominum Franciscum in dotem aliquibus mulieribus tempore guerre predicte volebamus ipsis mulieribus debere libere remanere. Et similiter possessiones illas que date fuerunt aliquibus pauperibus personis per dictum dominum Franciscum tempore predicto in recompensatione aliquorum suorum navigiorum, que perdiderunt in guerra predicta. Insuper quia in dictis alienationibus possessionum factarum per ipsum dominum Franciscum de Cararia erant alique, que fuerant date per eum aliquibus Ecclesiis, et Monasteriis pro calicibus, crucibus, argenteriis, et aliis ornamentis argenteis acceptis per eum dictis Ecclesiis, et Monasteriis (6) volebamus, et erat nostra intentio, quod examinari, et videri deberet valor argenteriarum predictarum, et similiter valor possessionum datarum pro eis, habendo respectum ad temporis conditionem,

quando dicte possessiones date fuerunt Monasteriis antedictis, qua examinatione facta relinqui eis deberent tot de dictis possessionibus, quod sit eis pro suis argenteriis plenarie satisfactum. Superabundantes autem volebamus, ut justum est, nostre Curie applicari. Reliquas autem possessiones datas, et alienatas dicto tempore per ipsum dominum Franciscum variis, et diversis Personis, non obstante, quod fortasse apparerent, vel apparere possent carte, vel instrumenta de dictis venditionibus, et alienationibus, quia secundum informationem nobis datam falsa, et fictitia sunt, cum de ipsis possessionibus nulla solutio facta sit, volebamus similiter reverti debere, et poni in nostram factoriam Padue, cum intentio nostra sit, quod tales carte, vel talia instrumenta non sint alicujus roboris, vel valoris, sed quod credatur solum, et stetur veris, et justis solutionibus factis in venditionibus, et alienationibus antedictis.

Ad quartum Capitulum continens, quod de bonis immobilibus, que fuerunt domini Francisci de Cararia satisfiat his, a quibus fuerunt extorte pecunie pro imprestantiis in guerra preterita, et quibus per ipsum non fuit satisfactum, super quo licet alias deliberaverimus complacere Civibus Padue usque ad quantitatem quatuor milium ducatorum, tamen di-

cta quantitas non erat sufficiens etc. Responsum fecimus, quod honeste tunc denegare potuissemus de condescendendo requisitioni sue predicte. Sed volueramus nos gravare de dicta quantitate, ut in dictis responsionibus ordinate cavetur, de qua responsione, et provisione nostra omnibus consideratis habeant remanere contenti.

Ad quintum continens, quod de aliis extorsionibus bonorum immobilium, et per ipsum dominum Franciscum factis fiat restitutio his, a quibus extorta sunt, respondimus, quod nobis displicet, quod tales extorsiones aliquibus facte, et illate sint. Sed sicut ipsi considerare bene poterant difficillimum nobis foret omnes extorsiones factas per illos de Cararia corrigere, et emendare.

Ad sextum continens, quod cum alias fuerit petitum, quod jurisdictiones Potestatis Padue, et aliorum Potestatum, vel officialium Paduani Districtus non diminuerentur, sed conservarentur secundum consuetudines antiquas, et fuerit responsum, quod istud placebat nostro Dominio, dummodo non infringerentur promissiones nostre facte in contrarium. Placeat nunc nobis, quod si que concessiones facte sunt post dictam promissionem in contrarium, non teneant, tamquam facte per minus bonam informationem, sed revocentur, et deinceps non con-

cedantur, sed consuetudines antique observentur. Responsionem dedimus, quod veritas rei erat, quod nos fecimus tunc nostram responsionem Oratoribus, qui hic erant, quod propter conditiones, et terminos guerrarum facte fuerant per nos promissiones aliis in contrarium, quas infringere non poteramus, sed si ultra dictas promissiones videbant per nos aliquid fieri posse cum honore nostro eramus parati complacere sibi, et in illa responsione nunc perseveramus, declarantes, quod nescimus, quod a dicto tempore citra facta sit per nos alicui promissio in contrarium, nec facere intendimus, quia promissa omnino intendimus observare.

Ad septimum continens, quod a sententiis ferendis per Rectores Castrorum, vel Villarum Paduani Districtus appellentur ad Potestatem, seu Capitaneum Padue, dedimus responsum, quod placebat nobis, quod in facto dictarum appellationum servetur forma statutorum, et consuetudinum Communis Padue. Salvo quam de sententiis latis per Rectores Castrorum, et Locorum, quorum subditis concessimus, quod se regant de per se, et quod habeant merum, et mixtum imperium, quia aliter cum honore nostro facere non possemus, quas volebamus debere venire Venecias.

Ad octavum continens, quod placebat nostro Dominio, quod dacium Mazinature ad plus non ponatur ad soldos duos pro stario Paduano, responsum fecimus, quod licet per informationem, quam habeamus dictum dacium nunquam vel brevissimo tempore fuerit exactum ad dictum precium tantum, intendentes eos tractare benignius, quam tractati fuerunt per alios eorum Dominos, eramus contenti complacere eis, quod de dicta Mazinatura per Cives Padue tam intus, quam extra non debeant solvi nisi soldi duo pro quolibet stario Paduano.

Ad nonum continens, quod starium salis non ponatur ad plus ad soldorum quatraginta starium Paduanum, quo venditur bladum, responsum dedimus, quod conditio dicti salis, et provisio de illo fienda erat maxime importantie, et requirebat bonam examinationem, quam fieri faciebamus, illaque completa taliter provideremus super modum, quod tractarentur equaliter cum aliis terris de novo acquisitis per nos, Verone videlicet, et Vincentie, quia aliter nostra provisio nulla foret non dubitantes, quod talis nostra provisio erit omnibus eis grata.

Ad decimum, per quod supplicarunt quod daremus eis unum bonum Pastorem in spiritualibus qualem jam longo tempore non habuerunt (7), ut Ecclesia Paduana, que est quasi quoddam princi-

pium Civitatis Padue, que jamdudum non fuit bene gubernata per eumdem Pastorem bene gubernetur etc. Responsum prebuimus, quod ad hoc dispositi eramus, et sperabamus placendo Domino, quod haberent talem qualem requirunt.

Ad undecimum per quod requirebant, quod villani, et laboratores, qui aufugerant de Paduano Districtu, et ad loca subdita Ducali Dominio nostro se transtulerant cum bestiis Civium Padue, et cum aliis eorum debitis cogantur redire sub dominis, quibus laborabant cum eorum bestiis, vel solvere integraliter dictis Civibus debita, in quibus eis sunt obligati, et quod super his fiat eis summarium jus. Responsum fecimus, quod tempore guerre nos feceramus, et dederamus aliquas immunitates villanis, et laboratoribus Paduanorum, qui vellent se absentare de inde, et ad nostra loca reducere, propter quod non poteramus honeste facere contra eos illud, quod requirebant, quia foret nunquam nostri honoris. Sed si vellent se reducere ad illas partes reliuquebamus in libertate eorum, quia contra eorum voluntatem nolebamus aliquem retineri.

Ad duodecimum continens, quod affictus et livelli, qui solvuntur annuatim Civibus, et Clericis habitatoribus Civitatis Padue diversis temporibus, qui non fuissent exacti per aliquem nostrum offi-

cialem ante presentem pacem possint exigi, et haberi per Cives, et Clericos eos habere debentes, nec possint per aliquem nostrum officialem modo aliquo impediri, responsum fecimus, quod nisi appareret promissio per nos facta in contrarium aliquibus debentibus solvere tales affictus, et livellos, qui non sint positi in nostrum Comune, nec intromissi, eramus contenti, quod de ipsis per nostros Rectores fieret jus.

Ad tertium decimum continens, quod vinum, et fruges anni presentis, que fuissent habite per laboratores, nec forent vendite, aut recepte per nos possint per cives, vel districtuales dominos prediorum, vel vinearum repeti cum effectu, fecimus responsionem, quod eramus contenti, quod de talibus fieret jus, dummodo non appareat promissio in contrarium facta per nos.

Ad quartum decimum continens, quod quilibet Cives Padue possit libere secundum consuetudinem antiquam conducere suos redditus de Castris, et Villis Districtus Padue ad Civitatem sine ulla prohibitione, vel impedimento, responsum dedimus, quod placebat nobis, quod servaretur illud, quod erat antiquitus consuetum, et ita mandaremus omnibus nostris Rectoribus, quod observare deberent.

Ad quintum decimum continens, quod nobis placeat subvenire Civibus Padue, qui propter guerram erant valde depauperati de bladis pro seminibus cum ydonea cautione de restituendo illa ad nos redditus, et maxime nunc de ordeo, quia tempus instat, respondimus, quod quotiescumque Comunitas Padue mitteret ad nostros Provisores bladi personam cum sufficienti mandato, que possit eis prestare ydoneam cautionem nos faciemus sibi dari usque ad summam stariorum trium milium ordei, statuendo illi precium librarum quatuor pro quolibet stario, quod precium postea ad novas recollectiones ipsa Comunitas dictis Provisoribus solvere teneatur.

Ad alia capitula continentia, quod de frumento, vino, et aliis concernentibus victum intromittendis in Civitatem nihil solvatur per Territorium, nec in ingressu Civitatis usque quo habebitur aliquis recollectus sufficiens, qui tamen non erit, ut dicunt, usque viginti menses, et de uno soldo solvendo pro stario frumenti, leguminis, et seminis lini, que vendentur, et pro reliquis bladis denariis sex, et quod de bestiis aptis ad colendum terram, que conducerentur ab extra, et venderentur usque unum annum nil solvatur, et quod vinum, quod venditur ad mastellum solvat solum soldum unum pro libra, et de reliquis daciis, que solvuntur in introitu por-

tarum de bladis, et aliis remittatur tertium ejus, quod nunc solvitur, et quod pro dacio carnium solvantur denarii tres pro libra, et pro piscibus nihil, et quod datium plaustrorum ex toto tollatur, responsionem dedimus in effectu, quod videbamus clarissime, quod introitus terre non erunt sufficientes ad expensam, et diminuendo illos, ut querebatur, essent adhuc minus sufficientes, propter quod esset expediens, ut de nostris introitibus Veneciarum suppleremus ad dictam expensam, quod non foret rationabile, nec justum, et propterea non videbatur nobis de faciendo dictas diminutiones datiorum, que tamen datia non erant ita gravia, nec excessiva, que non possent bene tolerari per eos.

Et quia ultra omnia capitula suprascripta ultimate dicti Oratores dixerunt nobis, quod in primis concessionibus factis Civibus et Comunitati Padue per nos, ut apparet per responsiones nostras dictis primis capitulis factas oriebantur aliqua dubia, que supplicabant declarari per nos, et superinde debite provideri, ut per Rectores, et Officiales nostros servaretur, et adimpleretur intentio nostra, nos dubia predicta declaravimus, et declaramus in hac forma.

Et primo primum in quo tangunt, quod cum concesserimus Civibus, quod possent olivas suarum

possessionum habere, et Rectores nostri nolint permittere, quod habeant oleum, quod annuatim a suis laboratoribus est solitum sibi dari, Nos istud declarare debeamus eo modo de oleo, quo diximus de olivis, nos diximus, et declaravimus in hac forma, quod placuisset nobis satis, quod Rectores nostri, quibus hoc spectat, permisissent, et consensissent Civibus Padue fidelibus nostris illud idem in facto olei, quod habere debent a laboratoribus suis, quod jussimus de olivis, quia talis fuit intentio nostra, sed eramus certi, quod ad hoc consentire noluerant errare dubitantes, et propterea mandaremus eis, quod deberent permittere et facere, quod laboratores dictorum Civium Padue prestent dominis suis illud oleum, quod annuatim soliti sunt tribuere, et prestare, quemadmodum facerent, si dare tenerentur olivas.

Ad secundum dubium continens, quod Rectores antedicti exigunt ex domibus Civium affictus domorum usque in diem presentem, et pro futuro tempore asserunt se exacturos, nisi aliud eis mandetur per nos, diximus, quod intentio nostra est, et sic nostris Rectoribus daremus in mandatis, quod debeant ex toto permittere, et consentire, quod Cives predicti Padue de cetero affictus suarum possessionum possint percipere, et habere, et similiter

illos, quos habere deberent ab habitatoribus domorum a die, qua habuimus Dominium Civitatis Padue usque nunc, nisi applicati forent nostro Comuni. Si autem pervenissent, et exacti fuissent per nostros Rectores, vel Officiales mandabimus illos restitui a die, qua dictum Dominium habuimus citra, quia intentio nostra non est, quod tales affictus remaneant in nostro Comune, nisi usque ad dictum diem.

Ad tertium continens, quod per eosdem Rectores exiguntur debita, que cives Padue habere debent ex mutuo, vel alia causa temporibus retroactis preter redditus possessionum suarum anni presentis, responsum fecimus, quod placebat nobis, et sic mandaremus Rectoribus nostris, quod cives Padue possent exigere a laboratoribus suis illas pecunie quantitates, quas habere deberent ex causa mutui sibi facti pro colendo eorum possessiones, et hoc in casu, quo ante acquisitionem Dominii Civitatis Padue non pervenissent in nostrum Comune. De aliis autem suorum laboratorum debitis factis ex alia causa temporibus retroactis, que non pervenissent in nostrum Comune similiter contenti eramus, quod fieret jus per terminos justos et rationabiles.

Ultimate postea dicta Comunitas Padue ad nos misit honorandos Oratores suos, per quos cum

omni humilitate, et reverentia fecerunt nostro Dominio supplicari, quatenus pro contentamento, et consolatione generali Civium dicte Civitatis exaltationeque honoris, et Status nostri vellemus provisionem nostram suprascriptam factam super venditionibus, et alienationibus factis per illum de Cararia reformare per modum, quod possessiones, que date et alienate fuerunt Civibus antedictis, de quibus omnibus precium in toto, vel parte appareret solutum in defalcatione prestantiarum factarum domino Francisco de Cararia, remaneant eisdem Civibus. Nos autem dispositi, non pensata utilitate propria nostri Comunis, et volentes ipsis ostendere clementiam, et benignitatem nostram, responsum sibi dedimus, quod eramus contenti complacere eis hoc modo videlicet, quod omnes possessiones vendite, et alienate civibus, et habitatoribus Padue per dominum Franciscum de Cararia, vel suos tempore guerre preterite, de quibus constabit illis, qui ad hoc per nos fuerint deputati, totum precium fuisse solutum partim in pecunia numerata, vel rebus datis Curie, et partim in prestantiis factis dicto domino Francisco, aut solum in prestantiis, quia de possessionibus solutis in pecunia numerata, vel rebus datis Curie provisum est, remanere debeant illis, qui dictas possessiones habuerunt, intelligen-

do, et declarando, quod vendite sint saltem per octo dies antequam habuerimus Dominium Civitatis Padue, et non includendo in predictis aliqua molendina, ut superius continetur, nec possessiones alias datas per dominum Ducem Mediolani domino Jacobo de Verme.

Verum quia ultrascripti fecerunt mentionem, et requisiverunt, quod dignaremur providere de satisfactione illorum, qui fecerunt prestantias dicto domino Francisco, et nullam recompensationem habuerunt. Ad istud responsum fecimus, quod ut pluries dictum fuerat, nos feceramus super dicta parte illam provisionem, que nobis justa visa fuerat, quia contenti fueramus complacere eis de summa ducatorum quatuor milium, licet honeste denegare potuissemus, ita quod non erat expediens, ut superinde aliud innovaretur, vel diceretur, quia tales habebant de nostra provisione remanere contenti.

Et propterea omnibus et singulis Potestatibus, Capitaneis, ceterisque aliis Rectoribus, et Officialibus Civitatis Padue, et Districtus, Castrorum, et Locorum ejus presentibus, et futuris cum auctoritate nostrorum Consiliorum rogatorum, et additionis scribimus, et mandamus, quatenus omnes, et singulas deliberationes, et responsiones nostras ad unumquodque capitulorum factas, et contenta in il-

lis in quantum ad eos, et ipsorum quemlibet spectant, et pertinent, spectabunt, et pertinebunt, prout continent, observent inviolabiliter, et ad unguem, et faciant ab aliis plene, et integraliter observari, facientes istud nostrum Privilegium in Canzellaria Regiminis Padue de verbo ad verbum ad futurorum memoriam registrari. In promissionum autem omnium fidem, et evidentiam pleniorem ipsum fieri jussimus et Bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro Ducali Palatio anno Dominice Incarnationis millesimo quadragentesimo quinto Indictione quartadecima die trigesimo mensis Januarii (8).

NOTE

NOTE

(1) Questi è uno dei Sindaci e Procuratori per la Città di Padova dinotati nell'Instrumento della sua dedizione alla Republica Veneta del giorno 22 Nov. 1405, che leggesi nella Storia della Marca Trevisana di Gio. Battista Verci, Tomo XVIII. pag. 88, e nelle Dissertazioni sopra l'Istoria Ecclesiastica di Padova di Monsignor Dondi Orologio, Tom. VIII. pag. 277. Nel nostro documento è cognominato *Caveale*, e *Cavedale* nella Storia Padovana del Gattari (Muratori, Tom. XVII. *Rerum Ital.* pag. 935). Ma nell'apografo riferito da Monsignore Orologio è detto *Da Noale* con più verità, bene corrispondendo alla parola *Canoale* dell'apografo del Verci, composta delle due *Ca* e *Noale*.

(2) Per ordine della Republica Francesco Novello da Carrara e i due suoi figli Francesco III. e Giacomo vennero uccisi in prigione nel mese di Gennajo 1406.

(3) È notabile la lettera del Doge Michiele Steno, diretta a Giovanni Contarini Podestà di Treviso, in data

29 Aprile 1407 (Verci, *Marca Trevisana*, Tom. XIX. Doc. pag. 12), con la quale comanda che tutti i sudditi della Veneta Republica, che vogliono applicarsi a qualche scienza o facoltà, non possano altrove dirigersi, che all'Università di Padova, sotto pena di ducati cinquecento.

(4) Il Gattari, pag. 939, ci dà l'elenco di tutti questi personaggi, non con lo stesso ordine, e con qualche diversità nei nomi e cognomi. Di più, nomina Nicolò Mussato, che nel nostro documento si desidera. Nella stessa pagina fa menzione anco del dotto discorso tenuto da Francesco Zabarella innanzi il Doge, che in caratteri più recenti sta scritto nel nostro Codice prima della Bolla d'oro, ed in termini di lingua proprj del secolo, datato li 3 Gennajo 1406. In lezione più pura fu stampato da Monsignore Orologio nel Tomo VIII. pag. 282 delle altrove citate sue Dissertazioni, ma datato li 4 Gennajo dell'anno stesso.

(5) Nel principio dell'anno 1406 i Rettori in Padova per la Veneta Republica erano Tomaso Mocenigo Vice-Podestà e Zaccaria Trevisan Vice-Capitanio, come si rileva dalla Lettera Ducale del primo di Febbrajo dello stesso anno, registrata nel Libro rosso. A Tomaso Mocenigo poco appresso successe Marino Caravello, ed ebbe egli pure il titolo di Vice-Podestà, come leggesi nell'altra stampata dal Verci nella sua Storia della Marca Trevisana, al N.° 2062, datata li 19 dello stesso mese. Non è vero dunque quanto scrive l'Orsato nella sua Cronologia dei Reggimenti di Padova, che già nell'anno 1405 Tomaso Mocenigo avesse il titolo di Podestà, e Zaccaria Travisan quello di Capitanio.